



Dissertatio medica inauguralis de epilepsia

<https://hdl.handle.net/1874/343816>

38.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EPILEPSIA,

AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissimae

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
rite & legitimè consequendis,

Publica disquisitione subjecit

JOHANNES FITZMANN, LUBECENS.

Ad diem 5. DECEMBRIS, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc xcii.

V I R O
*Excellentissimo, Nobilissimo,
Experientissimo,*
D O M I N O
J O H A N N I
F I T Z M A N N ,
Medicinæ Doctori Celeberri-
mo, atque Liberæ Imperia-
lis Reipublicæ Lubecensis
PHYSICO, Parenti suo sum-
mè devenerando

Dissert. hanc Inauguralem

D. D.

JOHANNES FITZMANN.

DISSE

TAT

O

M

E

DICA

I

N

A

U

G

V

R

A

L

I

S

D E

E P I L E P S I A.

PARAGRAPHUS PRIMUS.



Lerisque morborum humana corpora infestantium titulis quod accidit, ex antiquiori Græcia natales suos ut sortiti, peregrinas appellations in Latium transtulerint: idem & crudelissimo affectui, cuius explicationem præsentí dissipatiuncula suscipere animus est, evenisse deprehendo. Ortum enim latinum Epilepsiae nomen ex Græcorum Ἐπιλεψίᾳ, sive illud, quod Hippocrati placuit & Aristoteli, ductum sit δέ τὸς Αριστοτελος, quod derepente ac inopinato hominem prehendat ac prostrernat; seu, prout aliis visum est, δέ τὸς ἐπιλεψίας, quod subitis hiscīs convulsionibus correpti homines, cum reliquarum animalium actionum abolitione deficere, & de mentis potestate excidere ut plurimum conspiciantur.

§. II.

Cæterum aliis quoque nominibus salutari consuevit pessima hæc humani corporis carnificina. Ex variis nonnulla indigitare sufficere poterit. Scilicet vocatur aliis morbus caducus, quod ægros quæis insidias struit, perniciemque meditatur, oculi momento, nec advertentes sternat, inque terram conjectos miserando spectaculo quatiat & affligat. Comitialis aliis audit: utrum a Comitiis solutis, an, quod in Comitiis, seu turba populi, & concursu non raro observetur, penes illos lis esto, queis his velitationibus ætas impeditur. Lunarem alii appellari malunt, quod Lunæ motus sequi paroxysmorum periodos vel credant, vel credi velint. Neque tamen his nominibus contenti omnes. Herculeum enim alii: alii modo sacrum appellant, modo Sonticum, modo puerilem, & si quæ sunt aliæ tristiores tristissimi tortoris appellations, de quibus, cum mihi chartæ parcendum sit, pluribus consulere licebit Vincent. Alfar. a Cruce, Untzer. de Epileptia &c.

DISSERTATIO MEDICA

4

§. III.

Præmissa sic, quantum licuit, in compendio brevissima nominis evolutione, methodo in Scholis jam pridem receptæ morem gessuri ad ipsam rei seu Epilepsia definitionem realem pedem profero. Dico autem Epilepsiam esse motum totius corporis convulsivum per vices afflagentem, cum actionum principum, sensus, motusque voluntarii ablatione atque cessatione ab irritatis, & ad motum inordinatum concitatis animalibus spiritibus nervisque fibrillis ortum.

§. IV.

Placuit generis locum concedere convulsioni totius corporis interpolatæ. Qua in re Medicorum Principis & Magistri Galeni vestigia premo: quem secutus Haly Abbas theor. ix. eundem morbum per convolutionem determinare non erubuit. Intelligi autem per convolutionem, cum eruditissimo Willisio, volo, illos motus convulsivos, quibus musculi sibi contrarii præter voluntatem moventur. Hinc tamen non omnis statim convulsio. Epilepsiam constituere censenda est. Dantur enim motus quidam convulsivi particulares, qui, cum hæc tantum, vel illa pars humani corporis, non vero universa illius machina & moles agitatur & concurrit, Epilepsiam præsentem non arguunt.

V.

Cæterum, dum totum corpus couelli affero, de subjecto simul, seu parte affecta principali non immerito quærendum erit. Enim vero tantæ hic difficultates, tantus Veterum & Recentiorum inter se dissentientium numerus, ut qui componendis illis locare operam suam velit, non raro tot lites atque bella, quot sententias deprehensurus sit.

§. VI.

Ut paucis multa expediam, plerique Veterum in ipso Cerebro, quod illud principaliter affectum crederent, morbi somitem quærebant. Quæ opinio, ut ut nostro tempore paucis forte Æsculapicæ artis Cultoribus arrideat; omni tamen ratione, vel etiam experientia caruisse vel ideo censi nequit, quod ex capitib[us] vulnerib[us] sævissimas oriri Epilepsias constet, & non ultimus Medicinæ Procerum Fernelius in quodam, quem cultro anatomico subjecerat, Epileptico, paululum humoris putridi adhæsisse ossi calvariae observaverit; in alio vero liquorem omnino fætidissimum deprehendisse scilicet in libro de abditis morborum causis scriptum publicè reliquerit.

§. VII.

Enim vero allata ab illis argumenta, et si, quod jam innui, omni probabilitate non destituantur, nec negari possit, deprehensum in cerebri substantia

I N A U G U R A L I S.

substantia & ventriculis aliquando humorem vel putridum, vel subcruentum: Idem tamen humor deprehensus & jam in illis est, quos per universum vitæ spatum nulla unquam Epilepsia infestavit. Quæ certe causa vel sola sufficere illis visa est, ut ab antiquis secessum hic facientes, relicto cerebro, ipsum potius musculorum ac nervosum genus, seu fibras nerveas in membranis muscularisque irritationis subjectum, ac sedem affectam principalem crediderint: Irritatis enim alicubi fibrillis nerveis, reliquæ deinde in consensum quoque trahuntur, & affecto nervorum principio, omnes hinc inde passim irritantur: inde oritur universalis in toto corpore convulsio.

§. VIII.

Accidit interim motus hic convulsivus, cum actionum principalium, sensus ac motus voluntarii ablatione, vel cessatione, & hoc ipso Epilepsia a convulsione differt, qua correpti functionibus tamen animalibus omnibus minus orbantur. *Benivenius de abditis morborum ac sanitatum causis c. 97. Marcellus Donatus H. M. mirab. l. 2. c. 4. Erastus in anatom. libr. Com. Montanus §. 2. p. 195.*

§. IX.

Restat definitionis mæx differentia specifica, quam ab ipsa causa morbi, seu irritatione fibrillarum nervearum deduxi. Sane enim sive quis spiritum motivum membra alicujus ab humore viscido, fibris motricibus impacto, & deinde acrimoniam nacto, sive maligno ita infestari, ac partem corripere dixerit; prout in scorbuticis & malignis morbis, utope morbillis, variolis &c. id usu venire solet; seu à quacunque alia materia acri provene afferuerit; seu humor illa sit, seu vapor, seu externum quid, modos sit ita comparatum, ut fibrillas ad motum spiritusque concitet; horrendi utique motus, quibus universa corporis structura quassatur, repentina ægrotantis prostratio, membrorum vacillantium distortio, aliaque plura sævissima symptomata aperite satis & luculenter loquuntur, omne hoc malum ipsiusque adeo mentis læsionem a motu quodam spirituum animalium in fibris nerveis ac membranosis irritatorum peregrino, inordinato & impetuoso profici sci.

§. X.

Factum hinc, ut Thomas Erastus, nec id quidem incongruè, Epilepticorum paroxysmos oriri ad eundem modum existimaverit, quo solent sternutaciones aliæque corporis convulsiones irritata parte ab acriori materia excitari. Quamvis enim exacte prorsus, aut citrè dubium nullum, explicare omnia haut proclive sit; fieri tamen hoc, aut vix dissimili ratione probabile est.

§. X I.

Neque vero mirum id videri cuiquam debet, si correpta una parte, alteram simili molestia affici contenderim; cum aliis etiam in casibus, quanto impetu trahantur corporis partes in consensum & rapiantur satis pateat. In dentientibus sane pueris, dum dens perforare membranam, seque ipsam liberare carceribus nititur, quæ tunc non universum corpus molestia conficit? madent oculi lacrymis, laxatur alvus, profluit ex ore salivæ flumen, tussis sicca adest, raro sine horribili supervenientium convolutionum comitatu. Non dissimilem naturæ consensum discimus ex illis, quorum calculus patientiam exercet. Quoties enim per Ureterem movetur calculus, acutissimo non tantum dolore distenditur & fatiscit ureter, totusque inferior venter in tumorem agitur, horrendique vomitus oriuntur: sed & reliqua membra convelluntur, caputque afficitur, in ipsis oculis videndi vis aliquandiu perit. Taceo nunc, quod Hildanus obs. cap. i. inferuit, exemplum puellæ, quæ, cum aciculam deglutiisset, irritatis ab infixa hac intestinis omnibusque corporis membris, tantis correpta est symptomatibus, ut ab ipso Dæmone obsessa, à non paucis credita sit. Quo pertinet historia tussis ab acicula in intestino hærente obortæ, quam descripsit Merletus.

§. X I I.

Perspectis sic definitionis gencre & differentia, habitus Epileptici signa & phænomena, prout in diversis subjectis variant, explicanda restant. Sunt enim signorum quædam antecedentia, quæ partim ab ipsis ægris sentiuntur, partim aliorum oculis subjacent. Sentiant scilicet nonnulli gravitatem capitum, aurium tinnitus, visus obtenebrationem, splendorumque purpureum ante oculos, qui dein gravissime per ipsos paroxysmos afficiuntur. Dilatatam in quodam maximè pupillam vidit Excellensissimus Meibomius, certo arguento, fibras illas, ciliare ligamentum oculi constituentes, affectas quoque fuisse.

§. X I I I.

Porro signis his accensenda venit Ephæstes, seu Incubi crebra sub somnum invasio, testibus Galeno, Ætio, aliisque, terrores crebri, somni tempore, capitum plenitudo, sensuumque abalienatio. Nec minus linguæ motus præcedere observatur inordinatus, præsertim in illis, qui Lunatici dicuntur, & Epilepsias periodicas patiuntur.

§. X I V.

Ceterum, antequam de Epilepsia causis sermonem instituam, de tribus morbi hujus speciebus, quæ vulgo referri solent, dicere prius par est.

Esse

Esse scilicet aliam ajunt idiopathicam, quæ oriatur ex capitis vitio, & circa illa antecedentia signa subito & quasi ex insidiis ægrum invadat; aliam ex ventriculo deducunt, & hanc vel ventriculi dolorem præcedere, vel morsum, distensionem, cumque paroxysmus imminet, nauseam, anxietatem, animique deliquium. Tertiam speciem dicunt, cum ex reliquis partibus, ex gr. manuum pedumque digitis, aut crurealiquid abscedere sentitur, quod, ubi capiti, nervorumque principio communicatur, Epilepsiam excite, unde etiam ex eo hanc ortam esse colligatur.

§. X V.

Verum illi, qui has differentias proponunt, falso illo præsupposito nitividetur; quod humores pravi in cerebri vel ventriculis, vel medulla colligantur, illiusque substantia ac membranæ inde vellicentur, vellicatae sese concutiant, & nervorum principio simul concusso, totum denique nervosum ac membranosum genus in consensum trahatur. Quæ opinio à Nobilissimo Schneidero, libris universo Medicorum orbi notissimis, Hof-samnoque in ingenioso commentario in x libr. Galeni de usu partium; & Excell. Schockio in eleganti de sternutatione libello cap. 5. & 6. abunde refutata est.

§. X V I.

Interim hoc certum est, ubicunque etiam acre & malignum illud fermentum lateat, aliquo tamen modo capiti communicari, ac in consensum trahere cerebrum, ut inde principes facultates cum sensibus lœdi, & musculi omnes corporis agitari possint. Non tamen video, cur has Epilepsias inter se tam accuratè (licet quidem rectè in hujus morbi sede investiganda, & ubi de causis agitur, & ad curandi rationem hæ distinctiones considerentur;) distinguere velimus: Sic enim morbus locum non habet, prius quam afficiatur cerebrum, ut superius jam dixi. Si igitur ratione variarum sedum Epilepsias distinguere velis, magna varietas esset constituenda: cum & illa quæ à capite oritur, non eodem semper modo contingat, & ipsa etiam non drepentè semper oboriatur, sed signa sua antecedentia non raro habeat.

§. X V I I.

Cum vero tunc demum aliquid rectè sciamus, quando, dicente Aristotle, causas rerum cognoscimus, nobis quoque, ut accuratiorem morbi nostri scientiam habuiamus, causæ ejus ordine sunt evolvendæ. Has vero, ut eo commodius eruam, considerabo primo externas illas, gravissimas nempe læsiones & vulnerationes, quæ tum alibi, tum potissimum si in capite fiant & partibus nervosis, Epilepsiam inducunt. Vi-

demus

DISSERTATIO MEDICA

demus enim homines, cœterum optimæ sanitatis, quiue nunquam quicquam senserunt Epileptici, si ex alto in caput decidant, aut gravi iectu cranium lœdatur frangaturque, frequenter pati Epilepsiam, adeo, ut Chirurgi, inter symptomata vulnerum capitis, convulsiones ac Epilepsiam non immerito numerent. Hanc tamen tum imprimis oriri observant, cum festuca aliqua, que à cranio abscescit, cerebri membranas premit, vellacque: quæ remotâ, cessare statim deprehenditur paroxysmus.

§. XVIII I.

Ad causas illas externas ac procatasticas etiam à nonnullis referuntur lunares radii, qui, si in caput dormientis apertum incident, Epilepsiam inducere vulgo creduntur, idque eò citius, quo magis jam ante Epilepsia quis obnoxius fuerit. Enim vero ridicula hæc sententia alteri non minus ridiculæ debetur, Lunam scilicet cerebro dicatam, illud gubernare, hincque Autorem Epilepsia & somitem existere, cum ne quidem certum sit, Lunam in humores microcosmi aliquod imperium habere, quod in vulnerum curatione nonnulli se observasse credunt.

§. XIX.

Major est efficacia animi pathematum. Videmus enim homines in Epilepsiam pronus per leviores etiam animi affectus incurrere denuò in hunc morbum: gravissimi tamen sint animi affectus necesse est, si is, qui nunquam malo hoc laboravit, Epilepticus inde fieri debeat. Imprimis vero hunc morbum producit ira, in qua omnes nervi singulas fibras ad motum subitaneum stimulant, quo facto in corde frequentior & vehementior Systole & Diastole excitatur, & consequenter motus sanguinis fermentatus valde adaugetur, imo bilis, tanquam humor facile mobilis & fermentescens, simul vehementer mota, in qualitate acri, semel concepta, valde exaltatur.

§. XX.

Neque minus Epilepsia periculum ab inconvenientia diætæ. Videlicet enim, si errata in victu ac potu præcesserint, facile recidivam Epilepsiam fieri. Quam in rem notari meretur, quod illi, qui in juvenili ætate paroxysmos Epilepticos passi sunt, etiamsi deinde per plures annos iisdem non lacefitti sint, facilius tamen in hunc morbum incident, si dein intemperanter vivant, & vino se sèpius inebriant. Quemadmodum, à viñi generosi potu, Puerum quendam Tridentinum 15 annorum convulsus motibus divexatum, varias Epilepsia facies spectantibus præbuisse Bartholinus cap. 2. H. 90. testatur. Ad eundem modum etiam venena, et si non omnia id faciant; plerumque tamen & acria imprimis, & corrosiva

corrosiva Epilepsiam inducunt, vid. *Fernel. l. 2. de abdit. rer. caus. c. 15.*
it. Forest. l. 17. obs. 13.

§. X X I.

Pueri quando vermibus laborant, tum alia gravissima symptomata patiuntur, tum etiam frequenter Epilepsiam; quam à vermibus oriri inde est manifestissimum, quod, illis expulsis, omnino cesseret. vid. *Thom. Bartholin. c. 4. H. 7. cent. 6. H. 20. Forest. libr. 10. obs. 65. Jul. Cesar. Cladin. consult. 64. Rutland. cent. 8. curat. 13.* Nec minus etiam alii humores mali, in ventriculo ac intestinis hærentes, hunc morbum producere valent. Ante enim sex annos, cum Helmstadii viverem, Excellensissimus Meibomius exemplum Monachi cujusdam epileptici à ventriculo habuit, in quo acrum humorum & acidorum copia maximum & continuum pene edendi appetitum excitabat. Hic, ubi saturatus esset cibis, rarius Epilepsia affligebatur, ubi jejonus, gravissimè & frequentissimè. Tandem vixis humoribus, & refranato per medicamenta appetitu, levamen invenit.

§. X X I I.

De Mulieribus observatum est, interdum gestationis tempore Epilepsia eas laborasse, reliquo tempore, quo non gravidae, ab illa immunes fuisse. Frequentius vero iis supervenit, si suppressæ quædam evacuationes, uti menstrua, vel lochia, vid. *Timaus l. 1. cas. 12. Tulpius l. 1. c. 10.* habet exemplum Mulieris prægnantis, quæ à maligno vulvæ vapore in tam acerbas nervorum contractiones conjecta est, ut. ignara partus, fœtum ediderit. Similiter Harveyus annotavit, cum in exulceratione uteri fæminæ cuiusdam injectus fuisse acrior liquor, illam toto mox corpore convulsam fuisse.

§. X X I I I.

A variis quoque aliis causis oriuntur Epilepsiae. Sic calculo renum & vesicæ laborantes, ubi illi vehementer sese movent, sèpe epilepticos insultus patiuntur, teste *Bartholino cap. 5. H. 61.* Nimia urinæ continentia quid possit, vid. apud *Job. Bapt. Amonian. cons. 29. Job. Henr. in libr. de morbis capit. 13.* Ex venere nimia etiam oriri interdum hunc morbum notum est Confer. *Plater. & Henr. ab Heer in obs. rar.* quam forte ob rationem Democritus coitum parvam Epilepsiam olim nominavit. In infantibus etiam, quorum corporibus acres humores insunt, alvi suppressio Epilepsias excitat.

§. X X I V.

Præterea illud bene considerandum in dentientibus Pueris, si dentes dif-

ficulter erumpant, symptomaticam tandem sequi Epilepsiam. Colicas & iliacas passiones desinere in paralyxin valde frequens est; interdum tamen & Epilepsiam illis passionibus supervenire, exempla docent à Schneidero libr. 3, de Catarrb. c. 6. Thuner. obs. l. 1. p. 93. allata. Cæterum de scabie id imprimis observandum, si non satis erumpat, aut medicamentis inconvenientibus repellatur, aut mox, aut brevi tempore post, producere Epilepsiam. Simile quid accedit in Variolis & Morbillis, si non debite expellantur, aut ægroti libero sese aëri temerè nimis exponant. Mirum quoque est, quod Rondeletius observavit, multos ex aëre, vel vento per narres concepto, statim in hunc morbum incidisse. Scorbutum Epilepsiam etiam excitare posse notat Matth. Marininus, vid. pag. 70. 338. 383. Sternutatio non recte succedens idem efficit, teste Salmuth c. 1. obs. 93. A vaporibus, ex calce exspirantibus, hunc morbum ortum, Nymannus observavit, libro de Apoplexia cap. 26. Ex suffitu, ac olsactu rerum foetidarum, Apulejus & Ammannus in Medicina critica; A percussione oculi, Salmuth. cent. II. obs. 74. & musculi temporalis, Prosper. Martianus.

§. XXV.

Si alias adhuc causas antecedentes scrutemur, obseruamus etiam hoc malum esse hæreditarium. Hildanus ex gravidæ matris imaginatione infantem fuisse factum Epilepticum annotavit. Unus enim Epilepticus si videat alium Epilepsia corripi, facilime in eam incidit, quod sit non ab aliqua exhalatione ex epileptico corpore exeunte; sed ab imaginatione & motu irregulari spirituum, uti per alios etiam affectus animi, ex ira imprimis & terrore non infrequenter illam oriri videmus.

§. XXVI.

His jam causis tam externis, quam internis consideratis, ab illa irritatione omnia phænomena in Epilepsia occurrentia, & quomodo haec causæ enumeratae eam inducere soleant, satis superque explicari posse existimo, dummodo quis acidam, subtilem, acrem ac effervescentem aliquam materiam in corpore latitantem cogitaverit, quæ fibrillas nerveas, ipsumque spiritum motivum irritet, morbumque hunc infelici partu producat & enitatur, non secus, ac si maligni quid externè sanguini communicetur, uti contingit in morsu bestiarum venenatarum, à quo excitatam Epilepsiam notauit Tulpinus l. 4. c. 2.

§. XXVII.

Prognostica signa eventum morbi concernunt, suntque vel salutis vel mortis. Est vero omnis Epilepsia morbus valde periculosus, qui, licet non semper,

semper, & cito, aliquando tamen in ipso paroxysmo jugulat ægros, uti in infantibus sæpissimè & sub principio variolarum, non recte prorum-pentium, quotidie videmus. Illud verò in genere sciendum est; convul-siones & convulsivos motus minus esse periculosos, quam Epilepsiam, quoniam in hac sensus omnes & animæ functiones abolentur, quæ tamen illis minus affici aut lædi solent. Notandum quoque est; si sæpius rever-tatur Epilepsia, stupiditatem inducere, uti in infantibus sæpius observare licet. Curari alias facilius possunt infantes, quam adulti: imo, si post an-num vigesimum quintum Epilepsia quis corripiatur, ad mortem usque illam comitari ægrum *Hippocrates indicavit Sect. 5. Aphor. 7.*

§. XXXIII.

Hæreditaria Epilepsia seminarium vel nunquam, vel raro eradicatur. Similiter illa Epilepsia, quæ à vulnere, vel contusione in capite originem trahit, est periculosior. Quæ à causis internis & humorum vitiis oritur, sæpe recidivat; minus, quæ à calculo, vermitibus &c. His enim expulsis, cessat. Illa quoque, quæ à dentium difficii eruptione fit, non facile re-veritur; quæ vero morbis aliis supervenit, longe periculosior est, & frequenter lethalis: id circa mulieri uterum gerenti, si Epilepsia super-veniat, periculum imminere nihil mirum.

§. XXXX.

Restat solutio Epilepsiae. Illa sit ut plurimum cum gravibus suspiriis, cum salivæ excretione, sudoris, lacrymarum, interdum fœcum alvi & urinæ. Verum enim vero hæc non est solutio totius morbi, sed tantum paroxysmi. Ipsum tamen morbum non minus aliquando certorum hu-morum excretione solutum esse, nec unquam rediisse Medici observarunt. Singularem certe casum, ab Excell. Meibomio annotatum, quin adduc-am, intermittere non potui. Puella quædam, cum per aliquot annos gravissimè Epilepsia, sæpius in die redeunte laborasset, nullisque medica-mentis curari potuisset, accedit, ut in eadem domo, qua plures infantes variolis decumbebant, illa quoque corriperetur eodem morbo. Curatio expellentibus instituta fuit, & iis, quæ contra Epilepsiam præscribi so-lent. Decoctum visci quercini pro potu ordinario commendatum fuit. Post hujus aliorumque pharmacorum usum, non solum salutaris Variola-rum expulsio secuta est, sed etiam, præter omnem opinionem ipsius Epi-lepsiae. Observatum est præterea, eos, qui infantili & puerili ætate fiunt Epileptici, quando ad pubertatis annos accedunt, à mōrbo illo liberari, & id imprimis contingere in sc̄eminiis, quando menstruare incipiunt. Uti enim magni tunc morbi in illis solvuntur, ita etiam Epilepsia menstruis

DISSERTATIO MEDICA

prorumpentibus non raro solvitur. Constat etiam , superveniente febri solutam esse saepius Epilepsiam : Idem testatur Hippocr. Aph. 70. Sect. 5. Interdum perictus & locorum mutationem, perque alias excretiones in externis partibus factas, uti per scabiem, per ulcera, Epilepsiam interdum solvi ab Autoribus consignatum est.

§. XXX.

Hactenus morbi theoriam dedi. Cum autem Medicus non subsistat in contemplatione, sed ideo compleetur morbum, ut illi, secundum indicationes certas, aptis auxiliis medecatur, ideo ipsam metam curationis crudelissimi hujus morbi & limites ut detegam, opus est. Respicit cura partim ipsius paroxysmi solutionem; partim morbum, extra paroxysmum, totaliter extirpandum, ægrumque ab ulteriori insultu, removendo omnes causas occasioales, vindicandum.

§. XXXI.

Paroxysmi solutionem quod concernit, ubi tam terribile malum accidere videmus, statim occurrentum, artusque & membra omni conatu detinenda sunt; pollex intra manum raptus, in rectum trahendus, quo involuntarias has concussions ita moderemur, ne ægri sibi ipsis noceant, partesque ad res duras fortiter allidendo corpus lœdant. Os, quod per convulsionem arctè clauditur, diducatur: metus enim est, ne extremum linguae sibimet demordeant ægri, quod Galenus & Forestus observarunt. Commode hoc sit cochleari, ex argento, vel alia materia fabricato, vel instrumento ligneo, linteolis obducto, seu ex corio confecto.

§. XXXII.

Frictiones quoque fortiores injungunt Practici in partibus primo tactis, & ubi initium paroxysmi Epileptici advertunt ægri: partim pannis asperis, partim etiam cum acribus, aceto, pipere, sale; præsertim vero per ligaturas strictas, & firmas illarum partium, quæ primo spasmus tanguntur, efficere id licet. Ligata enim sic parte, malum hoc toti spirituum generi, ac dolor reliquis membris non communicatur, nec sensus ille irritationis ultra ligaturam facile progreditur, teste D. D. Moto apud Barhol. cent. 6. Hipp. 78.

§. XXXIII.

Venæsectio in ipso paroxysmo raro locum habet; potest tamen in Plethora, illa, habita cause ratione, adhiberi. Cucurbitulæ vero non scarificatae majores Ventosæ dictæ, nuchæ appositæ, & deorsum ductæ, in ipso paroxysmo magis ab Autoribus probantur. Sternutatoria in paroxysmo, licet perquam multi ea laudent, minime approbo: Spiritibus enim,

enim, jam tum impetuose motis, non addendam esse novam afflictionem, quis non videt? Si os tantillum hiat, cochleari dentes dirimendi, & diremiti servandi, ac infundenda appropriata in hoc casu notissima: ex. gr. Aqu. è Typh. Corn. Cerv. Ceras. nigr. Hirund. cum Castor. Fl. Til. Beton. Lilior. convall. Antepileptic. Lang. Cinnam: Aqu. cordial. cum Sal. vol. succin. Spirit. corn. Cerv. Sal. ammon. Tinctur. castor. atque commodo Syrupo de Stoechad. scilicet. Meliss. vel El. Tunic. mixta. Habenda tamen corporis ægroti ratio & temperamenti, cum illis spirituosis calidis peccari quoque possit, utpote spirituum fervorem augentibus.

§. XXXIV.

Quod si magis affligat paroxysmus, quam ut ad se redire possit æger, excitetur per Clysmata acriora ex discutientibus & carminantibus facta, vel Suppositoria, quæ in momento adhiberi possunt, & in Infantibus multum juvent. Nonnulli, aliis irritis, ad Vomitoria accedunt, & Fonseca jubet Epileptico paroxysmo tacti pharyngem, cessante deglutitione, illinere Ol. quodam cum Mercur. vitæ, vel alio vomitorio: sic enim aliquantulum in ventriculum sensim delabitur hujus pharmaci emetici, & æger, facto vomitu, facilius ad se revertetur.

§. XXXV.

Ad leniendum dolorem, emolliendum, discutiendum ac resolyendum possunt etiam membra convulsa, & dorsum, nucha & vertex inungi Ol. juniper. Succin. Lavendul. Spic. Chamæm. Rutac. Cheyr. Petrol. Amygd. dulc. cum Camphora acuatis: vel illa Ol. possunt etiam in Balsama converti, & sic commodius inungi. Alias enim Bals. succin. seu Peruvian. vel reliqua in Officinis præstantia Balsama cephalica, apoplectica, simplex rutæ Balsamum, egregia sunt.

§. XXXVI.

Ut ut vero præcipue de adultioribus sermo fuerit; non necessum esse videtur de Infantibus multa seorsim commonefacere, cum nulli dubitemus, quin omni prudentia & artis scientia probe instructus Medicus illa, quæ adultos concernunt, ad Infantum tenellorum Puerorumque ætatem accommodare facile sciatur. Ex. gr. si noverit, alvum esse clausam, Clystere aprienda illa est ex lacte, in quo Flor. Chamom. decocti cum melle ac parum butyri saliti; humores præterea acidi & æruginosi corrigendi sunt terreis, acidum absorbentibus, & bilem alterantibus. Si dolores urgeant, granum unum vel alterum Theriacæ vel Mithridatii mira præstat. Potest etiam mixtura quædam fieri cum Aq. Card. bened. Betonic. Fl. Tilia, Corall. Confect. Alkerm. cum Moscho. vel Ambr. aut aliquot guttul. Spirit. CC.

DISSERTATIO MEDICA

vel Succin. & Syr. Pœon. Quærunt hic nonnulli , an non ad aperiendam aluum in ipso paroxysmo possint dari purgantia? verum cum purgantium vis, propriè ita dictorum, non ita citò in corpore nostro operetur, sed post aliquot horas; non video, cur illa in ipso paroxysmo dari velint. Vomitoria vero, licet non ita facile sint propinanda, quoniam tamen citius suum effectum edunt, magis convenire mihi videntur. Atque hæc de cūra, quæ paroxysmi gratia sit, dixisse sufficiat.

§. XXXVII.

Ipsam morbi hujus in adultioribus curationem dum aggredior, meminisse oportet, quæ de diversis sedibus Epilepsia causarumque supra proposui; ut, ubi nempe sit, quod irritat, & quale illud, cognoscamus, & maturè removeamus. Si ex repletione nimia, vel humore acri, aut pituita crassiore in ventriculo hærente de illis exterminandis subito solliciti esse debemus. Fit autem hoc breviori via per Vomitoria; longiori, per Purgantia. Nobilissimus Schraderus aliquando Nobilem curavit post ebrietatem semper Epilepsia tactum, huic bene poto dabat lene vomitorium, ex: gr. Tartar. emetic. sacch. mixtum, vel sol. Ol. amygd. dulc. quod consilium ita successit, ut nunquam deinceps, ut ut largiter potui indulgeret, Epilepsiam senserit.

§. XXXVIII.

Quæritur autem hic non immerito, an materia illa commodè statim possit educi, an vero præparatione aliqua indigeat? Si a nimiâ ingurgitatione, non opus esse præparatione existimo: Si vero viscida adest pituita & fortius impacta tunicis, salia fixa incidentia sunt adhibenda; Hanc enim non commodè, sine præparatione prævia, posse expurgari mihi persuadeo. Sunt præterea humores aliquando valde acres, qui nisi prius correcti ac temperati per medicamenta acida imbibentia & corrigentia, uti sunt terrea, item alcalia fixa &c. citra incommodum etiam educi nequeunt. Principio quidem purgantia repetitis vicibus propinare convenient, qualia ex ipso quoque ventriculo materiam vitiosam per alvum subducunt: utique aloetica amara; hieras illas, simplicem, Picram Veteram. Prosum quoque amara alia, non purgantia in tali casu ad materiam peccantem, quæ in primis viis hæret, incidentam & abstergendam. Mel squilliticum, Mercur: dulcis, Cinnabaris nativa præparata, & Antimonii admodum in hoc casu sunt utilia. E vegetabilibus Hellebor: niger, Senn: Tamarind: ad humores seruosos & biliosos expurgandos, ab omnibus habentur commendatissima. Lactentibus vero Infantibus talia purgantia præbere non debemus; sed loco horum purgandus est infans Syr: Ros: Flor: persicor: de Cichor: rhab:,

Rhab: vel commodo fieri potest ex gr. iij. Scammon. correcti cum ʒj. alte-
raque Aqu: Rosar. vel Cichor: mixtura, cui ʒj. vel altera Syr: Ros. solutiv:
addi potest.

§. XXXIX.

Si in Epilepsia acris humor, quem s̄epius in ventriculo sedem habere
modo innui, peccat, paroxysmum epilepticum reversurum optimè prohi-
bere possumus terreis medicamentis, cum Succin: & Cinnab: præscriptis;
Visco item quercino, Cran: human: Corall: Margarit: Dentibus Apri
& Equi marini, similibusque mixtis. Talia enim antiepileptica terrea ebul-
litionem humorum sistunt, spasmodum coercent, & simul per diaphoresin
expellunt: qualia antiepileptica, quæ diaphoretica simul sunt, præpollere
omnibus aliis fusius differit Eruditissimus Marrit. Hoffmannus de medic: offi-
cin: vide Thoner: l. 2. p. 9. usum talis antiepileptici pulueris extollentem.
Alias latissimus campus plurium laudatissimorum in hoc morbo Specifico-
rum se pandit apud Authores: in quem, si quis exspatiari voluerit, adeat Th.
Willis: c. 3. d. morbis convulsiv. p. 463. Job. Michael: Oper: Med: Chir: pag.
1. libr: 2. c. 17. Michael. Ettmuller: c. 9. de Convuls: & Epileps. p. 440. 441.
& Theodor. de Mayerne Prax: medic: libr. 1. c. 3. pag. 21. 22. 33. &c.

§. XL.

Non minus tamen possunt etiam diuretica ac cephalica, quæ causas respi-
ciunt, & caput confortant, adhiberi, uti Spirit: vol. vinos. urinos: Sal
vol: ammoniac. Spir: & sal CC: Ebor: Viper. Tartar. rectific. Liqv.
CC. succin. Spirit. vol. Sylvii, ut & Essentificate Ol. cortic. Citr.
Mac: Ror. marin: Lavendul. Carioph: Cinnamomi. Decoctum Chinæ
etiam non inconveniens in hoc morbo medicamentum est, & Visci quercini
imprimis.

§. XLI.

A vermis quando Epilepsia oritur, potissima indicatio est, ut vermis
bus in ventriculo & intestinis delitescentibus & rosonibus suis malum hoc
efficientibus opponantur amaricantis sola, vel cum purgantibus antea lauda-
tis mixta. Ex gr. Sem. Santonic. Aloe; Corn. C: ust. Corallin. Extr:
Myrrh. Croc. Mercur. dulc. Si ex dentitione difficulti malum revertatur
crebrius, ac graviores affectus hujusque recidivæ sint, nihil vetat, Lancetta
tumentem gingivæ partem incidere, qua de re legi meretur Paracelsus libr. 23.
67. & Borellius l. 1. obs. 97. Corium infumati lardi recentis in ore tenere bo-
num est: laxantur enim hoc gingivæ, & dens facilius prorumpit. Non
nulli Cerebrum Leporis, Mel ros. &c. gingivis illinunt: alii Radicem Alth. re-
centem in Aq. Malvæ maceratam masticandam infantibus præbent. Ge-
latinæ

latinæ CC. usum, aliquandiu continuatum, valde proficuum censem. Interim Infantibus hoc morbo laborantibus non ad iram, vel terrorem occasio danda est, cum alias animi pathemata recidivam facile excitare soleant.

§. XLII.

Epilepsia per consensum uteri in Fœminis, vel suppressione mensium, vel uteri præt: natur: fluxibus orta jubet, ut vitium illud uteri quantocius tollatur. Cum vero, sanguine suppresso, in mulieribus, plerumque etiam Plethora oboriatur, Venæsectionem in hoc casu plurimum prodesse, observatum est. Conveniunt porro Purgantia superius laudata, quæ ute-rum expurgant, nec non alia, quæ pro ratione ipsius vitii uterini possunt adhiberi. Ex. gr. quæ ex Succin. Castor. & Herb. cephalic. epileptic. & denique uterinis dictis parantur. Accuratè vero prius dijudicabit Medicus, quale sit uteri vitium, à quo dependeat Epilepsia; si enim hoc satis constat, medicamenta magno numero à Practicis annotata, statim se se of-ferent.

§. XLIII.

Ischuriām a dissinta vesica ortam, convulsiones & Epilepsiam tandem gignere jam supra indigitavi. Tum autem evacuandam esse Urinam facile quis, qui circumstantias & originem hujus morbi cognoscit, intelligit. Calculus in renibus, vel vesica latitans, vel vapor ab extremis partibus a-scendens, vel pungens quid in vulnere hærens, & nonnulla alia superius jam annotata; quando Epilepsiam excitant, non vulgaris Epilepsia curatio insti-tuenda est; sed ad illas causas respiciendum, & hac methodo in reliquis hu-jus generis cautè, & cum judicio procedendum est.

§. XLIV.

His parum vel nihil conserentibus, ex fonte chirurgico auxilia speranda, quæ breviter adhuc explicabo. Ac primo de Venæsectione illud, quod superius observandum dixi, præservationis gratia extra paroxysmum in Ple-thorice illam habere locum, & neutiquam omittendam esse, quod Doctissimus Petrus Salinus Diversus in Hipp. l. i. de morbis, suis observationibus confirmat. Vesicatorii, Cucurbitulæ ac Fonticulorum usum valde salutarem esse, Pra-ctici asserunt. Imprimis vero Fonticulos in nucha excitatos laudari à Clari-fissimo Meibomio memini; imo & Cauteria partibus aliis, ubi ab illis oriri malum observatur. Cauteria vero atque Setacea, & quomodo in Epilepsia applicari debeant, optimè disquirit Vincent. Alfar. à Cruce.

§. XLV.

Restat, ut de Diæta, cuius in Epilepsia maxima ratio habenda, aliquid etiam subjugam. Consistit autem ea in recta rerum fex non naturalium

à Mc-

à Medicis diætarum administratione. Ubi se primo offert aer, qui sit purus, & mediocriter in qualitatibus primis temperatus; herbarum quoque odoriferarum convenientium fragrantia gratior factus; cum impurus corruptusque omnis, fortes præterea exhalationes & graviores fumi, uti carbonum & calcis vivæ, nocentissimi Epilepticis observentur, vitandique proinde omnino illis, qui à morbo hoc curari volunt.

§. XLVI.

Cibus & potus plurimum ad Epilepsiam conferunt, ideoque illorum incuranda Epilepsia non negligendum est examen; scilicet, ut inconveniens ci-bandi ratio vitetur, recta vero instituantur. Utrinque enim, si nimis repleatur, vel exinaniantur ventriculus, Epilepsia potest accidere. Repletio-nis nimis in Infantibus in promptu sunt exempla: imò & ab Aristotele, & à multis Medicis diligentissimè observatum, Infantes nimio lacte grava-tos, Epilepsiam contraxisse, & quod frequentius est, potui generosiori & copiosiori assuetos, in Epilepsiam sæpe incidisse adeo notum est, ut ne-mo negare id possit. Ut autem repletio, sic exinanitio nimia ventriculi Epilepsiam inducere non minus valet. Hoc inde patet, quod nonnulli, qui hoc morbo jam laborant, maximo simul appetitu gaudeant. Multi enim humores viciosi cum in ventriculo existant, ubi non habent, in quod agant, fibras ventriculi vellicando convulsionem ac Epilepsiam inducunt. Lac quia facile in ventriculo aescit, & coagulatur, non concedendum. Alias cibus sit boni succi, & facilis concoctionis. In potu vero vina for-tiora & vaporosa, ut & Cerevisia nimis lupulata. Interim non omne vi-num Epilepticis, neque in omnibus, præsertim assuetis ac adultis, interdi-cendum.

§. XLVII.

Motus quoque inordinatus & nimius nocet. Hoc enim concitanci spiritus, & ad motum convulsivum disponuntur. Imprimis circumgyratio-nes valde noxiæ sunt. Harum effectus vertigo, prodromus Epilepsie, sa-pius observatur. Hinc omnia quæ vertiginem in nobis pariunt, causam ut plurimum Epilepticis insultibus dare solent. Caveant sibi proinde hoc morbo laborantes, ne vel jejuni vel soli altiora loca ascendant, cum faciè eos adoriri paroxysmus, præcipitesque, cum vite jactura, agere queant: quod experientia sæpius testata est.

§. XLVIII.

De vigiliis etiam hoc loco monendum est, ne illas nimium protrahant æ-groti. Notum enim jam est, in Epilepsiam illos esse præ reliquis pronos, qui Spiritus nimis habent agiles, & heroico animo prædicti sunt; unde etiam morbus

morbus Herculeus , quod Hercules eo laborasse dicatur , nominatus est. Per nimias igitur intentiones animi, per continuatas vigilias possunt Spiritus in aliis etiam , qui integra sanitate fruuntur, ita disponi, ut epilepticis paroxysmis posthac occasionem suppeditent, foresque, quod in proverbio ajunt , iis recludant.

§. X L I X.

Restant excreta & retenta, quorum cum prioribus pari passu ambulat conditio. Quantum ad illa, sciendum est, nimias purgationes aliquando facere convulsiones & Epilepsiam: Quod jam ante notatum est. Vitare igitur illa vehementia cataractica, & lenibus tantum uti debent Medici, quibus curæ cordique est ægrorum salus. Veneris usum quidem nonnulli adeo detestati sunt, ut iplam Venerem breviorem Epilepsiam dixerint. Verum enim vero moderata seminis excretio tantum abest, ut Epilepsia sit causa, ut contra potius plurima extent exempla eorum, qui ob retentionem seminis in utroque sexu gravissimis Epilepsiis correpti & vexati sunt. Quod si tamen queratur, an iis, qui Epilepsia jam laborant, Veneris usus sit prohibendus? Si modicè ea utatur, non simpliciter illam esse vitandam mihi persuadeo, præsertim si juvenes ac sanguine adhuc sint, ita tamen, ut omnem nimium procul absesse studeant. Menstruorum suppressiones in foembris ad Epilepsiam pronis sollicitè solvendæ sunt. Alvis si aliquando substiterit, medicamento leni movenda erit. Urina non retineatur, sed quoties urget, mittatur: Tandem excretiones, quas natura in morbis ciet, ne inhibeantur, curandum, sive cum febre sint, uti in Morbillis, Variolis &c. sive citra febrem, uti in Scabie totius corporis, aut capitisi. Animis pathemata vitet ad Epilepsiam pronus, ut timorem, terrorem, iram; in horum enim moderamine non exiguum ad salutem momentum repositum est. Et hæc quidem pro ratione instituti mei sufficient. Tu vero, benevolè Lector, quæ breviter in chartam conjeci, benigno vultu accipe.

F I N I S.

